

1498 piarum omnium partem fuderunt , Joanne Gradonico , qui eis præterat , imperfecto , captis compluribus : reliqui , Savornianus Tarsiasque qui erant Cassinæ , veriti ne interciperentur , tormentis abductis se se Pisæ contulerunt , atque ad muros castris positis constiterunt . Iis intellectis rebus Senatus exercitu restaurando Guidum Ubaldum Metaurensium ducem suam in militiam adscivit , cui stipendium esset in equites cataphractos ducentos , levis armaturæ centum , auri libræ annuæ centum septuaginta . Petrum autem Marcellum legatum declaravit , qui Urbignum accurreret , ut Guido Ubaldo præsto esset , militesque mille in ejus finibus conscriberet . Tum , quod Petrus Medices Patribus significaverat , quoniam Ursini propinquui sui pacem cum Alexandro fecissent , si ei pecunia in stipendium subministretur , illos se omnes , quo-cunque opus esset , adducturum : Senatus ea de causa Petro Medici pecuniam decrevit , equitesque Græcos , qui æstiva in agro Taurisano habebant , quique tum e Græcia venerant , in Flaminiam mittendos censuit , ut alio itinere Pisæ contenderent : nam per Ludovici fines unum modo militem , aut omnino nuncium eo Patres mittere non poterant : quando is & itinera clauerat , & omnes tabellarios excutiebat atque intercipiebat , ne Senatus certior illis de rebus fieret . itaque nihil jam novi Pisæ afferebatur , compluresque dies magna earum rerum ignoratio Senatum tenuit . Emanavit tamen hoc , Florentinos cum Genuensibus Ludovico procurante fœdus percussisse , quo ex fœdere Genuenses littora Florentinorum ab reipublicæ classibus tuta reddere tenerentur . Neque multo post eorum magistratus Marco Beatiano , quem antea Senatus Genuam miserat , asperioribus verbis denunciavit ; se nunquam passuros , ut in reipublicæ imperium Pisæ redigantur . cui Beatianus respondit , *Minus injuste eos & Ludovicum facturos , si semel injurii in rempublicam fierent , fœderum & societatis , quam Diis hominibusque testibus sanxissent , læsa atque violata nomine : nunc illos dupliciter peccare atque delinquere : semel in eo , quod infidelis*